



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Exercitio quonam liceat pertingere ad Dei ardentem amorem: & quæ ad illum requirantur necessarias. Cap. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

woluntatem plus mereri possumus singuli, quam citra eam omnes pariter conglo-
bati, vniuersis operibus nostris externis. Nec aliquis tam pusilla habet exercitia,
quin si istis Deum ex animo spectat, ac in feruentiori Dei dilectione per illa pro-
ficere desiderat, in eoq; permaneat, seipsum sine medio aliquo impedimento uolun-
tatem continens, Deumq; solum in omnibus operibus suis scopum sibi prae-
figens & adamans, reuera, (etiam si iam animam agens Dei uisione frui uelit) voti
compos fiet. Id enim Dominus ipse qui mentiri nescit, promissit, dicens: *Petite &*

Luc. 11.
Ioan. 15.

accipietis: Quapropter ob leuia aliquot vitia, aut ob naturae infirmitatem, qua sit,
ut plura bona perficere non ualet, nemo se alienum putet à Deo, modo bonam, ut
dixi, habeat voluntatem ad Deum, adq; bona opera (si posset) perficienda. Nam
licet remotissimum se homo putet à Deo, Deus tamen illi haud est remotus: ue-
rum perpetuo potius ei adest, & si statim non admittitur, ante ianuam perstant

Amoris Dei
impedimen-
tum maxi-
mū quod.

pulsat, ut intro mittatur. Impedimentum omnium grauissimum, quod uisum
reperitur, est quum quis prudens uolensq; cor suum amore occupat creaturarum.
A natura quidem nobis insitum est amare, atque ided, quemadmodum absque a-
nima quis uiuere non potest, ita nec absque amore. Sed si debitum ordinem in a-
more seruaret, Deum prae se, praeterq; omnibus creaturis amaret. Quid an non
multis lacrymis digna res est, quod à praecleara illa indole sua ita degenerat homo,
& nobilem illum amorem suum, rem omnium longe preciosissimam, ad seip-
sum, adq; temporalia ista turpiter declinat, nec ad summum bonum Deum un-
quam erigit? Id adeo male habet amicos Dei ut (si posset) sanguineas lacrymas

Amor crea-
turarum im-
modicus quā
Deo iniuriā
inroget.

profunderent, ne Deus ex hominum mentibus, (pro quibus floridam uitam suam
impendit) tam ignominiosè propter uilissimas huius mundi opes, sensuumq;
turpissimas oblectationes expellatur. Cordis enim amator est Deus, nec moratur
opera externa, corde uicij & creaturarum amoribus data opera semper infecto.
Sed super omnia placet illi pectus uerè mundum, quod se totum resignauit, & ex-
stantissimo adfectu iugiter ardet & sitit Deum, Deiq; honorem & voluntatem
semper purè spectat, in eoq; permanet. Haec de charitate Dei in genere dicta sus-
ficiant.

*Exercitio quonam liceat pertingere ad Dei ardentem
amorem: & quae ad illum requiran-
tur necessaria.*

CAPVT. XIX.

Diuus Dionysius Areopagita, & post eum alij illuminati à Deo uiri compen-
dium quoddam nobis tradunt, quo ad consummatam dignam charitatis
perfectionem ocysimè facillimèq; perueniamus, nimirum per arden-
tes orationes, adfectus ignitos, & suspiria ad Deum. Verum quoniam adfectus nō
ita facile in amore Dei, nisi pijs quibusdam meditationibus prauijs accenduntur,
ided cui haec uia cordi est, Primo omnium tota anima cum uarijs uiribus &
potentijs suis recollecta, omnem externam occupationem, omnem solitudi-
nem & creaturarum amorem semel abiiciat, idq; potissimum per tres haec uir-
tutes

Exercitium
pro Dei a-
more acqui-
rendo quale
adsumendu

virtute: Proprie voluntatis abnegationem, creaturarum omnium eiectionem, & diuinorum donorum cum vera humilitate susceptionem. Tum verò maxima illa amoris argumenta, beneficiaq; sibi à Domino collata, amarissimam quoque Christi passionem & mortem: & à diuerso vitia defectusq; suos innumeros attendat, vt paulò ante fufius enarrauimus: Ad hæc incomprehensibilem illam Dei omnipotentiam, æquitatem, sapientiam, liberalitatem, benignitatem, misericordiam, subtilitatem, decorem, gratiositatem consideret; idq; cum tota cordis sedulitate, & virtute spiritus sursum in Deum prorumpentis: ita vt primo, priusquam assueuerit, corpori futurum sit admodum onerosum. Mox Deo ex animo gratias agat, adoret, tollaudet, illumq; solus (si fieri possit) tantundem laudare honorareq; desideret, quantum omnes pariter creaturæ. Aliorum etiam peccata coram Deo emendare, pro omni contemptu & ingratitude nomini diuino vnquam illatis, satisfacere cupiat. Ad hæc autem & omnia illa quæ Deus ab eo desiderabit adimplenda seipsum totum dedit, effundat, ac ex animo altissimæ voluntati Dei, sine vlla cordis rebellionem, offerat ac resignet: idq; ad eum perfectè, vt in omnibus Dei beneplacitum, suum altissimum fiat desiderium in tempore isto, & in æternitate, tam in euitanda, abnegandisq; omnibus voluptatibus & illecebris Deo displicentibus, quam in quouis labore operando, aut onere sufferendo, quæcunque sibi vel à Deo, vel ab hominibus imponuntur. Aut etiam inæquanimiter, citra vllius consolationis aucupium, perpetuanda omni confusione, contemptu, dispendio, morbis, tribulationibus, interna derelictione, cordis ariditate, & omnibus quæcunque Deus illi superuenire permittit, ne vnquam charitate ab eo separatur. Cæterum vt hæc ad Dei honorem probè possit perficere & perpeti, gratiæ ad hoc diuinæ auxilium imploret, vt omnia Deo displicentia perfectè in seipso mortificare queat. Cuiusmodi sunt sensuum oblectatiunculæ in videndo, audiendo, loquendo, in cibo, potu, vestitu, aut alijs quibuslibet corporum ornamentis, vanitatibusq; superfluis. Ad hæc naturales passionem in inordinato amore, metu, gaudio, tristitia, &c. Vt cor etiam suum supra omnem multiplicatam & occupationes eleuatum, in Deo semper gerat suspensum, & ab omnibus creaturarum accidentijs vnde cuiq; sibi aduenientibus lætis vel tristibus, liberum seruet & inconcussum. Fideliter etiam postulet à Deo, vt se nobilissimæ Christi humanitati in omnibus diuinis illis virtutibus & amarissimis cruciatibus conformè faciat: vt etiam intellectus illuminatione sibi donet ad cognoscendam summam Dei bonitatem, & suam vilissimam vilitatè, Dei altissimam voluntatem. Postremò sibi eam perfectam Dei postulet charitatem, vt ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus suis ipsum diligat, & à se totus deficiat, in Deum totus transferatur, ardentiq; amore eidem semper inhæreat. Nullis autem exercitijs proprietate quadam voluntatis inhærerere debet, quin potius accurate semper obseruet, quorsum vel qua via (varijs enim modis electos suos inuitare solet Deus) ipsum ad se pertrahere velit: bonitas diuina. Hoc vbi compererit, consistit omnibus relictis sequatur, & per desideria igne charitatis diuinæ succensa, vltimus in Deum prorumpat, in interno silentio & quiete sui ipsius, Deumq; tunc intra se operari finat, qui perfectius de omnibus ipsum edocebit. Internos verò Dei tractus amplius non sentiens, ad pristina sua exercitia redeat, eaq; peragat, vt perseverare in ijs vsque ad finem possit. Non vt plerisque mos est, qui vix dum inceptum, ob incidentem aliquam molestiam statim deserunt institutum Deo tamen longè gratior est perfecta ad interiora conuersio, quam sine ea, pluri-

Hhh

Mortificare quatenus debeat studio (us Dei amator.

Amor Dei vt ab ipso postulidus. Matth. 22.

Introverfo quæ sit Deo accepta.

ma ex-

ma externorum operatio. Nunquam tam modicè aut rarò ad Deum te conuertere potes, quin te multo amplius desideret atque expectet. Isthoc exercitio aliquantisper exercitatus, eo tandem perueniet, vt iam nulla meditatione præuia, prima statim mentis eleuatione, charitate diuina homo inflammetur, ac in Deum subleuetur. Asuantissimisq; desiderijs summo amori, qui Deus est, coniungi, vniri, illum amplecti, in illo submergi, liquefieri & diffuere affectet. Verù vt in omnibus, ita & hic, summo opere cauendù. Ne quid nimis: ne scilicet in donis Dei suauitate nimiam, aut quietè aucupetur, sed ijs pariter atq; omnibus ad veram sui mortificationem, veramq; abnegationè vtatur, alioqui certè vt ingratus à Deo relinquetur. Huic autem præscripto exercitio, aut huius farinae alteri, vt minimù semel per diè incumbet. Nè qui ne semel quidem in die mentem suam recollectà ad Deum conuertit, pro beneficijs Dei innumeris animo pensitatis gratias agit, peccata sua deplorat, veniam exorat, ad virtutum profectum gratiæ diuinæ auxiliũ supplex implorat, bonum animi propositum arripit voluntati diuinæ se torum dedit ac subijcit, is profectò Christiani hominis nomenclatura indignus censetur. Nam quemadmodum ferrum nisi assiduo vsu contrectetur, ruginem contrahit: ita & charitas Dei in continuo vsu exerceatur, pedetentim tepelcit ac deperit.

Ne quid nimis.

Exercitio a mortis quantum vacandum.

Amor Dei vt foueatur præsentiæ Dei contemplatione, crebris ad eum aspirationibus orationibusque: qua item via ad veram veniatur perfectionem.

CAPVT XX.

Abstractam vitam quæcunq; promoueat.

Multiplicia sunt ad Deum exercitia, diuersus est hominibus viuendi modus, diuersa ingenia, scripturæ diuinæ abyssus imperscrutabilis, traditio ipsa infinita. Vis igitur paucis certissimam omnium & cõpendiosissimam scire viam? hoc tibi exercitium arripe: Primo omnium (quo ad licet) abstractum te, separatimq; teneas ab hominibus vniuersis, semper quæras tempus & locum opportunum Deo familiarius vacandi. Pectus à peccatorum inquinamenti, vanisq; oblectationibus & euagationibus purum custodias, semper intus tecum permanens. Sensus exteriores cordisq; aditum contra omnes vanitates & incidentes imagines formasq; rerum secularium, quantum potes, obfirmes. Voluntatem & affectus ab omni gaudio & mœrore, spe & solitudine creaturarum & accidentium (quæ libertatem tuam aliquo modo tibi impedire, occupationesq; & cordis additiones seu inhaesionem inducere possent) pura, incontaminata, libera serues. Mentem tuam supra omnia temporalia in Deo geras suspensam, semperq; Deum memoria tenens, cum viuida quadam sedulitate, humiliter ante oculos illius consistas: suauem item animi propensionem continuumq; desiderium vt cum eo vniri possis, ad Deũ habeas: quo subtracto, oculus ad cor reuertaris, sensus distractos manes recolligas. Hæc si primum experienti onerosa videbuntur & ardua, haud a-

nimum abijcias, sed contra audacior progredere, penetra ac perseuera. Id si feceris, mihi crede, vsu ipso tibi protinus fient, non solum leuia, verum etiam iucunda. Sin verd vterius proficere desideras, in omni tempore, in omni loco ita age, ac si Deus praesens praesentem te semper alloqueretur: Fili mi contine te intus, intro ad me reuertere, purum te a peccatis, liberum, nullaque sollicitudine, & amore rerum temporalium distractum, custodi, summo illi bono, summo amore absque medio adhære, quaecunque videris vel audieris dissimula & pertransi. Huic autem negotio in memoria tua praeparatas habeas breues aliquas precatiunculas ad excitandos in Deum adfectus, quas D. Augustinus, haud iniuria iaculatorias vocat. Sunt enim veluti iacula quaedam ignita, quae in ipsum peccus dominicum eiacularum. De his loquitur sponsus in Canticis: *Voluerasti cor meum soror mea sponsa.* Has iaculatorias sicuti & vocales orationes ad quas obligaris ex intimo cordis adfectu proferes ad vniendum te Deo in aestuantissimo amoris sui incendio, ac te ipsum affuefacies, vt has aspirationes inter eundem, standum, sedendum, iacendum, quiescendum, manducandum, operandum, si non ore, saltem corde semper tibi habeas familiares. Si quid incipiendum aut operandum fuerit, ante singula opera cor, intentionemque tuam ad Deum prius erigas, sic Deum in omnibus facile inuenies, hoc aut simili modo.

Præsentia Dei vel vbi que attendenda.

Augustin. Orationes iaculatoriae que sint, quae ve spectent. Cantic 1.

Aspirationes

O Domine meus, & Deus meus, o mi amabilissime, electissime amice & sponse, o amor meus, refugium meum, gaudium meum, & quicquid cor meum desiderare potest. O quando perfecto amore te diligeam? quando puro corde te amplectar? o quando totus mihi moriar? quando abnegabo, despiciam, & relinquam omnia propter te? O vti nam posses anima mea totis viribus suis perfecte tibi vniri, nullo postea tempore abs te separanda, sed tota in te coquiescere, demergi, liquefieri, tuisque gratis frui amplexibus posses. O tu vita anima mea, offero ac resigno me tibi ex animo quantum sum, vt me possideas, & de me facias in tempore & aeternitate secundum altissimum beneplacitum tuum. O dulcissime Domine Iesu Christe, desidero & peto, vt ignea illa & mellisua diuini amoris tui virtus, totum peccus meum transfuset, purget, illuminet, atque ad se trahat omnes vires anima mea, vt veluti facula quadam ardens in tuo amore totus consumar, ac a me ipso deficiens, totus in te transfundar, vtq, te solum semper cogitem, te solum desiderem, te cognoscam, te inueniam, tibi soli inseparabilis semper inheream. His & id genus innumeris ignicis aspirationibus (vt Spiritus sancti vnctio edocebit) saepius per diem & noctem ad Deum magna vehementia effusus, spiritus tuus magis magisque in Dei amorem inflammabitur, firmabiturque: idque adeo fortiter, vt quoties volueris, sine vllis cogitationibus aut meditationibus prauijs, in ictu oculi, ceu fulgur quoddam te ad Deum eleuare ac immergere poteris, in ipsam diuini amoris abyssum, cum inenarrabilibus desiderijs, & anhelationibus ad Deum, solum habendum, solumque possidendum. Hæc autem centies, imò vel millies in die fieri possunt mente sola, sine vllis verbis, aut, si placuerit, etiam verbis, dummodo natura tua par sit tanto labori. Maxime opere enim aduigilandum est, ne natura, aut cerebrum intemperantia & immoderatione aliqua lædatur. Quoties igitur hoc modo cor tuum cum amore conuertis ad Deum, toties tibi Deus occurrens, nouam gratiam infundit, quam nisi per peccatum lætiferum amittere poteris nunquam. Verum in hac via perseuerare potest nemo, nisi in humili sui ipsius abnegatione refigurationemque ad Deum continuo permanserit. Ab externis igitur ad interna rediens

Aspirationes cuiusmodi emittendæ ad Deum.

Natura cerebrique ne ledantur inuigilandum.

H h h

protinus

Exercitiū
omniū, scō-
pus quis,

Perfectionē
cur pauci ob-
tineant.

Math. 17.
Luca 10.

Philosophia
mystica qui-
bus tantum
à Deo reue-
latur.

Via certifi-
ca ad perfe-
ctionē qua-

protinus explorā, num fortè in aliquo deliqueris, an te alicubi spectāris. Id ex ani-
mo deplorans admissum, Deo te iterum captiuum dede in voluntatem ipsius, ac
quemadmodum antea, ita nunc quoque cum amore audacter ad eum regressere, in
eōq; vsque ad mortem perseuera. Omnia autem reliqua exercitia, qualia sunt, ieiun-
ia, vigilia, &c. ad istud, seu scopum sunt ordinanda, tantumq; ex ijs est assumen-
dum, quantum tibi ad cordis puritatem, Deiq; amorem subsidio esse potest. Hic iū
paucis totius sanctitatis summam, qua ad apicem perfectionis conscendere potes
tenes: quem inter mille vix pauci mortales apprehendunt, idē potissimum
quod in intentione sua seipso nimium spectant, ac in alijs exercitijs præfixo sibi
sine conuiescunt, atque ita multorum annorum spacia sine magno profectu tran-
sunt. Hęc via est abscondita illa philosophia, quam Pater cœlestis, cœlestibus suis
inspiracionibus electos suos edocet, quam exarat in cordibus paruulorum & hu-
milium, qui id ab eo humili cum fiducia, sædula diligentia, & omnium mundana-
rum voluptatum contemptu experunt. Atque haud rarō, plebeio cuius idiota,
aut ignobili mulierculā à Deo reuelatur, quod literatissimo philosopho (qui elato
supercilio & inani fastu turgidus, reliquos præ se mortales contemnit) occultatur.
Ad hanc autem Philosophiam omnes creati & vocati sumus, qui etiam quouis mo-
mento tantam à Deo gratiam, tamq; ineffabilia bona promereri possumus, vt ve-
rè deplorandum sit, nos hic acedē supinos & oscitabundos ea negligere, quæ irre-
cuperabili damno perpetuo neglecta manebunt. Porro Deus id grauissimæ iniu-
riæ loco ducit, quod ad se propius accedere nolumus, & cœlestia illa perpetuoq;
permansura bona (proh pudor) ob temporaria ista per sensus exteriores impor-
tata negligimus & amittimus. Hęc via est facillima certissimaq; omnium que
reperiuntur. Ad hanc enim non ingenij acumine, non subtilibus aut intricatis ar-
tibus, neque etiam vel corporis robore opus est, nisi hoc solo, vt te totum & omnia
tua in manus Dei resignes & abneges, pectus purum à vitijs & creaturarum amo-
re custodias, ignitis ad Deum affectibus te exerceas, eidem amore perpetuo inha-
reas. Hisce exercitijs omnis multiplicitas, omnia vitia, & quicquid infra Deum est
semel euanesceat, liquefiet, corruet.

*Vita abstracta vti eligenda: quam sit illa necessaria: que sint
eius commoda: quantum item noceat hominum
incauta societas familiari-
tasque.*

CAPVT. XXI.

Vita abstra-
cta quam sit
necessaria.
Societas vt
spiritum ex-
inguat.

VT autem prædicta documenta tibi melius innotescant, notanda sunt hæc se-
quentia. Primo, separatim te abstractumq; teneas oportet (quatenus tibi
per statum & officium tuum licet) ab omnibus hominibus, idque hac potis-
simum de causā, quod plurimæ operationes, cōfabulationes, & societates animum
turbant, diligentiam eneruant, puritatem in sciunt, charitatem diminuunt & iri-
gescunt, vt nunquam ad germanum illius feruorem peruenire quis possit; at-
tentionem internam impediunt, rationem obcecant, vt cernere nequeat quid sibi
sit con-

fit conducibile. Facile admodum elabitur homini verbum aliquod non necessarium, facile tempus preciosissimum per ineptas hominum societates inutiliter teritur. Ea propter Arsenio praeceptum fuit ab angelo, vt fugeret, taceret, quiesceret. Totius quippe beatitudinis fons est, tranquillum se seruare in solitudine. Nam plus praestat eruditionis, purum se & incontaminatum conseruare, quam immensa volumina euoluere. Quisquis cum hoc mundo vult conuersari, vulnera non parca oportet illum tolerare. Nam omnia illa quibus homo distrahitur videndo, audiendo, comedendo, bibendo, loquendo, operando, alijs citra necessitatem semet applicando: omnia inquam, illa praedones sunt puritatis animi & eximiorum suorum bonorum. Ad animi autem puritatem, melius non peruenitur quam fugiendo. Qui à creaturis profugiunt in solitudinem, ij secure admodum confugiunt, modo ibi ita se gerant, vti deoet. At verò qui in seipsos confugiunt, ij periculose nimis confugiunt. Isti sunt homines probi, qui in mundo haerentes, nusquam nisi in seipsos fugere norunt, sui se negocijs officij occupando: quare & ipsorum fuga periculo est proxima. In solitudine homo purificatur & purus permanet, sibi inuoluntate, & Deum diligere discit. In solitudine carnem mortificare, Deo assimilari ac vniuersi edocetur. Cui solitudo sapit, huic sapit Deus. In solitudine alienantur ab homine omnia aliena. In solitudine per saporem rerum caelestium omnia onera sunt leuia. In solitudine seipsum homo amittit, & Deum inuenit. Solitudinem quoniam pauci vere agnoscunt, pauci etiam adamant. At si penitus perspicerent, quantus in ea bonorum thesaurus deliteat, mirum non omnes ad illam concurrant. Quapropter in vera Dei dilectione te admoneo, vt (quo ad licet) liberum te feriatumque custodias ab hominibus vniuersis. Nulli nisi qui eiusdem tecum sit animi nimium familiaris fias. Responde omnibus breuiter & humiliter, etiam, vel non, vti conuenit quando te alloquuntur: quod si tibi odium pariat, benignè hoc & hilariter propter Deum sustine. Silentium serua. Oportunum semper quaere tempus locumque solus permanendi, & hominum familiaritates deuittandi. Quid? an non melius est, vt aeternum illum Dominum tibi habeas propitium contra homines vniuersos, qui te a quo animo ferre nequeunt, nec laedere tamen possunt; quam vt omnium creaturarum fultus patrocinio, Deum habeas contrarium, aut alioqui illo carere debeas? Exteriorum hominum tuum quierum, interiorum incontaminatum conserua, tecum intus semper permanendo. Sensuum occasus, veritatis tibi est exortus. Si omnibus creaturis vtilis esse cupis, ab omnibus te abstrahere. Veritati simpliciter satisfacito, & si quid forte accidat aduersi, morosus tibi ipsi auxiliari aut patrocinari noli. Nam qui se nimium defendere curat, studet, is veritatis patrocinio destituitur. Vnde

Christus ait: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, id est, tui ipsius nimis anxiam curam & solitudinem abijce, nam in Deo omnia tibi abunde*

sunt exposita.

(:)

Hhb 3

Puritas

S Arsenius. Solitudo vult esse beatitudinis fons.

Puritas animi, vti acquiritur per abstractionem.

Solitudinis laus & utilitas.

Familiaritas hominum vitanda cur sit.

Vtilis vti quis omnibus fieri possit.

Luc 19.